

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Arborem scientiae boni et mali, protoplastis interdictam ex Gen. II,17**

**Mayer, Johann Friedrich  
Ziegra, Georg David**

**Vitembergae, 1718**

[urn:nbn:de:bsz:31-130464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130464)



60 A 2691,1

EX  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.

65/23

כש הקבר:

עץ הרעה טוב ורע:

# ARBOREM

SCIENTIÆ BONI ET MALI,

PROTOPLASTIS INTERDICTAM,

(Den verbotenen Baum des Er-  
känntniß Gutes und Böses)

Ex Gen. II. 17.

DISSERTATIONE THEOLOGICA,  
SUB PRÆSIDIO

DN. IO. FRIDERICI MAYERI,

Doctoris & Professoris Theologi celeberrimi, Alumnorum  
Electoralium Ephori gravissimi, Templi Omnium Sanctorum Præ-  
positi Substituti vigilantissimi, & Facultatis Theologicæ h. t.

DECANI Spectabilis,

Publico Eruditorum Examine exponit

RESPONDENS

M. GEORGIUS DAVID Ziegler

Ord. Philos. Adjunctus,

Ad d. O. A. M DC XXCV. H. L. Q. C.

VITEMBERGÆ RECUSA

LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI,

(5)

ANNO M D C C XVIII

1718

ARBOREM

SCIENTIE BONI ET MALI

PROTORASTIS INTERDICTAM

(Zur Verhütung der

Lehrjahre und

Er Gelehrter

DISSELTATIONE

SUB PRÆSIDI

DN. IO. FRIDERICI MAYERI

Doctoris & Professoris Theologie in Altona

Electoris Palatinus, gratissime, Josephi Christiani, archiepiscopi

postulatus, et in hunc finem

DECALE

in hunc finem

M. GEORGII DAVID ZIGLER

ANNO MDCCLXXII

LITTEIS IO. GODEFRIDI MAYERI

ANNO MDCCLXXII



VIRO

*Pracellenti atqve Clarissimo,*

DN. M. GEORGIO DAVIDI Ziegra/  
Ordinis Philosophici Adjuncto  
dignissimo,

*Salutem Plurimam dicit*

JO. FRID. MAYER, D.

**V**T primis universi generis humani condito-  
ribus decantatissima illa scientiæ boni mali-  
que arbor non sua quidem vel authoris  
culpa offensionem extitit, quæ omne malum, quo  
hodie homines premuntur, derivavit; sic quoque E-  
ruditis crucem fixit, nodumque adeo difficilem  
proposuit, in quo solvendo multi laborarunt, sed  
frustra admodum & infeliciter: cum neque ubi  
nexus inciperet, neque ubi penetraret, intelli-  
gi potuit. Ab aliis fuisse ficum ingeminari audi-  
as, ab aliis aliam arboris speciem; de quibus opi-  
nionum divortii Pererii, Petavii, Riveti, Calovii;

A 2

Ger.

Gerhardi, &c. conferendi sunt; quos omnes in limatissima hac & elegantissima dissertatione vestra, Vir Præcellens ac Clarissime, confluere & video & intelligo. Absolutam ab omnibus partibus eandem dicerem, nisi unum fuisset prætermissum; quod procul dubio ex detestatione tanti erroris, tamque impii horrendiqve dogmatis, quam incuriæ aut ignorantia vitio factum esse putem. Profecto cum pessimam istam *Johannis Baptista Helmontii*, Toparchæ in Merode, Roienborchi &c. opinionem ex libro de *ortu Medicina* desumptam, qua per arborem scientiæ pravam carnis concupiscentiam intelligi asseritur, paululum intueor, quis nescio sacer horror meum animum subit: idemque obstupescit plane, & rapitur extra se considerando *Beverlandii* Magno quidem Viro J. V. a ministeriis, adeoque obscuri, at notissimi hoc opinionis monstro hominis, quod ex Domini potius ad Atheorum mores admodum proni ingenio natum, quam illius editum acumine existimo, sententiam, sub dicta arbore pudendum viri delituisse blasphemæ statuentem. Vix potuit quicquam a Gnosticis, aliisque Veteris Ecclesiæ purgamentis turpius, aut quod majorem saperet impietatem, proferri, quam hoc: adeoque multo a Te consultius est factum, Vir Præcellens, ut illud ipsum præter-

mitteres, quam longiori & copiosiori demon-  
stratione ac confutatione periculum pietati alio-  
rum simpliciori excitares, cum vel audisse opinio-  
nem hanc perversam eidem refellendæ jam sufficiat,  
& sua statim se prodat turpitudine. Nolo hinc &  
ipse etiam in ea convincenda multum ponere labo-  
rem, multamve operam; quin tuo potius iudicio  
acquiesco: quo satius eiusmodi impios conatus æ-  
ternis obrui tenebris putasti, quam eorum recen-  
sione authorem per omnia vivere secula in homi-  
num memoria: quamquam ejus laudibus, quas  
ob summam eruditionis humanioris scientiam  
commeruit, nihil quicquam detractum velim; in  
iis autem, quæ altiorem & diviniorem sapientiam  
spirant, quorum virtutes nondum sensisse illum,  
ab iisque mentem gerere alienam video, cum turpi-  
ter se dederit, reprehensiones aliorum justas effu-  
gere non potuit. Nihil ergo amplius labori Tuo  
addi putem, cum talem eum deprehendam, quem  
a Te mihi sum pollicitus, id est, optimum & iudicii  
pariter atque eruditionis solidissimæ abundantem  
fœtibus. Quo de nomine imprimis mihi felix vi-  
deris prædicandus, te eo usque progressum esse, quo  
paucis pervenire datur. Sic Te Majorum, sic pa-  
triis te dignum moribus præstas cum fratre, quem  
non ita pridem subtilissimi ac accerrime disputantis



vices meo sub Præsidio tenere probe memineris; cui  
atque Tibi fausta quævis apprecatus gratulor de in-  
signibus animi virtutibus & eruditionis eximie  
thesauro, quem ut opera incredibili laboribusque  
comparatum, sic quoque locupletissime collectum  
possidetis Par fratrum Nobile. Quis ergo Tibi  
vitio vertat, Venerande Senex, si hisce filiis superbi-  
as? cum tales sint, qui a dotibus mentis dignissimis  
instructi Deo placeant hominumque saluti consu-  
lere didicerint, qua maiorem nullam felicitatem,  
largiores nullas uberioresque divitias in hominem  
cadere autumo. De illis ergo Tibi gratulor; vivas  
his præditus familiae ornamentis munimentisque  
amplissimis per multos annos salvus & incolumis.  
Et si nostræ preces quicquam possunt, fac ipse quo-  
que in societatem harum laudum & felicitatis  
veniam: quod si impetravero, videbor  
voti mei summam assecutus.



§. I.



**Q**uanta primi hominis ante miserandum  
deplorandumque nobis omnibus lapsum  
fuerit felicitas, quanta dignitas, quanta-  
que sanctitas, ne sensu quidem compre-  
hendere satis, nedum verbis exprimerè  
potest quisquam. Univerfus enim mun-  
dus Templum ipsi, Paradisus Sacellum  
quasi & Sanctum, arbor scientiæ boni &  
mali Sanctum Sanctorum erat. Ipse antistes splendidissime non  
secus ac כהן גדול אהרן, Aharon nempe, Exod. XXVIII. & XXIX. orna-  
tus; אפודר sive *superhumeralis* imago ipsius Dei: in quo eminebat  
מִשְׁפַּט חֶשֶׁן הַיָּדַיִם *pectorale iudicii*, cui inditæ erant אורוֹת וְתַמִּים  
*Illuminationes & Perfectiones*, plena Sapientia & Co-  
gnitio Dei creaturarumque in Intellectu & perfecta Iustitia & San-  
ctitas in Voluntate. מצנפת ציצית sive *lamina*  
*aurea*, cui inscriptum קדש ליהוה Sanctitas Domino, vel, San-  
ctitas ipsi Jehova, gratis illa, qua Deus primum hominem comple-  
tebatur, erat. מִכְנָסִים *subligacula*, seu, ut alii reddunt, *fe-*  
*minalia*, moriger appetitus. מעיל *pallium* & כתנה *tunica*, reli-  
quæ nimirum vires & potentiæ אבנטו Baltheo stringebantur, id  
est, amice inter se & cum superioribus facultatibus conspirabant, ita  
ut membra affectui, affectus voluntati, voluntas rationi, & ratio  
legi divinæ adhereret.

§. 1. In qua quidem concreata sibi propagandsque ad postereros integritate ac felicitate ut persisteret homo, & ex ea ad perfecte beatam æternamque vitam aliquando, nulla interveniente morte, transferretur, æternum non modo volebat Numen, sed & pro ineffabili ea bonitate & illis nullius unquam voce satis deprædicandis beneficiis, nihil expetebat aliud, quam ut collata ejus benefacta agnosceret Adam, gratiasque pura mente ageret. Quocirca, ut de essentia & voluntate Dei, colendique modo constaret ipsi, pro jure, quod ex creatione in creaturam habebat, de re quidem præstituta facili, & per se indifferente, videlicet, nec bona, nec mala, mandatum injunxit, ac præcepto solenni eundem obligat, ne arboris scientiæ boni & mali comederet fructum.

§. 3. Hoc vero Præceptum, quod Religionis vocat B. Rungius Præleq̄. in Genes. ad b. l. Moses, Θεῶ ἀνθρώπων, ἀπὸ πνύματος ἀγίου φησόμενος, (2. Pet. 1. 20.) ita Genes. 11. 17. describit: וַמַּדְבַּר הָרֵעַ טוֹב וְרָע לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ כִּי בְיֹמֵי אֲכַלְךָ מִן הָאֵיל הַחַיִּים מָוֶת תָּמוּת. quod LXXII. Interpp. Græci ita reddunt: Ἄπὸ δὲ τῆς ξύλης τῆς γνώσκου καλὸν καὶ πονηρὸν, ἢ φάγεσθε ἀπ' αὐτῆς. ἢ δ' αὖ ἡμῖρα (Cyrillus Alexan. legit. ἢ ἀπ' ἡμῖρα) φάγετε ἀπ' αὐτῆς, θανάτω ἀποθανείσθε. De ligno autem ederitis ex eo, morte moriemini; uti & Ant. Carafa Card. in edit. Sixti V. Romana habet: Symmachus vero scite: θνητὸς ἔσῃ, mortalis eris. תרגום אונקלוס (Chaldaica Paraphrasis Onkelosi) exponit: וּמַאֲלֵן דְּאֲכַלִּין פִּירוּחֵי חַכְמִין: פִּין טַב לְכִישׁ לֹא תִיכּוּל מְנִיָּה אַרְוּ בְיוֹמָא דְּתִיכּוּל וּמַאֲלֵן דְּאֲכַלִּין פִּירוּחֵי חַכְמִין לְמִידַע בִּין טַב לְכִישׁ לֹא תִיכּוּל מְנִיָּה אַרְוּ בְיוֹמָא דְּתִיכּוּל תְּהִי חַיִּיב קְשָׁל:

i. e. Sed ex arbore, cujus fructus qui comedunt, sapientes sunt ad  
cognoscendum inter bonum & malum, non comedes ex ea: quo-  
niam die quo comederis, eris reus mortis. Translatio Syriaca:

מִכֵּי אֵיכָנָא יִבְרַחְנָא לְדִבְעָא  
לִי אֲדִעָא לְדִעָא לְדִעָא לְדִעָא  
וְלִי אֲדִעָא לְדִעָא לְדִעָא לְדִעָא

At ex arbore scientia boni & mali ne comedas: nam qua die come-  
des ex ea, morte morieris. Arabica Conversio: وَوَسْنِ شَجَرَتِ

فَتَمْتَرِيهَا لَخَبِيرٌ وَالشَّرُّ لَا ذَلِكُ لَدَاكَ نَأْسِي بِوَجْهِ أَكْلِكَ

At ex arbore scientia boni & maline comedas: nam in die comestionis tuae ex ea, mereberis mori.

Textus Ebraeo Samaritanus sequentem in modum reddit:

De arbore autem scientia boni & mali, non comedes ex ea: quoniam in die quo comederis ex ea, moriendo morieris.

Verf. Sam. consumendo consumeris. Versio Persica Jacobi

Tufensis, vulgo Tavvosi & Tufii: وَلَمَّا رَوَّحْتَ أَنْ أَسْتَوِ  
تَدْرِكُ وَدَلْ وَهْ خَوْرِي لَمَوْ كَهْ دَرَوْرِي خَوْرِنِ تَو لَمَوْ

De arbore vero scientia boni & mali, de ista ne comedas: quo die enim de ea comederis, morte morieris.

Francisci Vatabli, Rob. Stephani, Latina Vulgata & antiqva Hieronymi: De ligno autem scientia boni & maline comedas. In quocunque enim die comederis ex eo: morte morieris.

Santes Pagninus: Et ex arbore scientia boni & mali, non comedes ex ea: quia in die, quo comederis

(Arias Montanus corrigit & reddit, comedere te) ex ea, moriendo morieris. Sebast. Münsterus: De arbore vero scientia boni & mali, nequaquam comedes ex illa: alioquin quacunque die comederis ex ea, moriendo morieris.

Immanuel Tremellius & Francisc. Junius: B De

De fructu vero arboris scientia boni & mali, de isto ne comedas: nam  
 quo die comederis de eo, utique moriturus es. Sebast. Castalio: Si  
 pomari arbore scientia boni & mali vesceris, &c. B. Lutherus: Aber  
 von dem Baum des Erkäntnis Gutes und Böses soltu nicht es  
 sen/ denn welches Tages du davon issest/ wirstu des Todes ster  
 ben/ Concordat Pontificius Translator Dietenbergius. Joh. Pesca  
 tor: Welches Tages du von dem Baum des Erkäntnis des gu  
 ten und bösen essen wirst/ wirstu gewißlich sterben. (Cita sequentes,  
 ut compendium faciamus verborum, Versiones adducere lubet.)  
 Belgica vetus: In wat Tage ghy van den Boom der Kennisse des  
 Goets en des Quaets eet/ sul ghy den Doot sterven. Belgica no  
 va: den Dage als ghy von dem Boom der Kennisse des Goets  
 ende des Quaets eet/ sult ghy den Doot sterven. Germanica  
 translatio antiqua MSc. an welchem Tag du von dem Holz der  
 Wissenheit des Guten und des Ubelen issest/ du sterbest des To  
 des. Anglica: in the day that thou eatest of the tree, of the knowled  
 ge of good and evil, thou shalt surely die. Gallica Genevensis: des  
 le jour que tu mangeras de l'arbre de science de bien & de mal, tu  
 mourras de mort. Italica Diodati: al giorno che tu mangerai dell' al  
 vero della cognoscenza de bene, e del male, per certo tu morrai, &c.

Id. §. 4. Placuit hoc Præceptum gravissimas aeternæ justitiæ  
 spirans minas in variis representare lingvis, quia horribilem ejus  
 efficaciam in gentibus omnium lingvarum per tot secula miser  
 sensit orbis. Esse autem ויצו Præceptum & quidem negativum,  
 non modo ex voce textum nostrum præcedente ויצו patet: nec  
 enim simpliciter dicitur: Et præcepit homini: sed ויצו ירוה  
על האדם über den Menschen/ qua constructio  
 ne verbi ויצו cum particula על Interdictum denotare, prohibi  
 tionem aut לא תעשה seu præceptum negativum, ob  
 servat R. Aben-Esra, (vid. Gen. 2. 16. 1. Reg. 2. 43. Jes. 5. 6.) sed &  
 ex verbo תאכל in futuro posito. Notanda enim hic regula,  
 quam in genere de præceptis negativis posuit R. Elias Levita in  
 Libr. Habacbur: Præcepta negativa non venire, nisi in forma fu  
 turi, ut לא תגנוב, לא תנא, לא תרצח, non occides, non

100-

mœchaberis, non furaberis. Nec poteris dicere **לֹא רָצַח**, **לֹא רָצַח**  
**לֹא גָנוּב**, **לֹא הִנָּח**, non occide, non mœchare, non furare; quia  
nunquam venit imperativus post unam harum dictionum: **לֹא**, **לֹא**,  
**כִּנְעוּר**, **לִמְעַן**, **אֲשֶׁר**, **אִם**, **כִּי**, **פֶּן**, Sunt autem hæc verba  
præceptiva, ac in numero eorum, quæ non solum actum, sed & jus  
vel debitum agendi negant, de quibus prolixè B. Glassius in *Philol.*  
*S. Lib. 3. tract. 3. can. 6. p. 556.* Rem sic se habere, ipsa svadet rati-  
o. Finge enim in futuri narrantis sensu, vel narrativo hoc præ-  
ceptum intelligi de solo actu, tum lex non erit, non obligabit.  
Dicet enim Deus, quid non futurum esset, non quid fieri non de-  
beret. Imo falsum diceret, non manducabis fructum arboris sci-  
entia boni & mali, quia de facto comedit de arbore vetita. Unde  
non male hoc *παραφράσις* R. Aben-Esra *Comm. in b. l.* **עַלְפֵי**  
**שֶׁהִתְרַתִּי לָךְ פְּרוּ עֵץ הַגֶּן לֹא חָאכַל מִפְּרֵי עֵץ הַדְּעִרָה טוֹב**  
**וְרַע וְגו'.**

§. 5. Continet autem id tum peccatum vetitum, tum pec-  
nam imminentem. Peccatum vetitum est comestio ex **עֵץ הָרֵעַת**  
**טוֹב וְרַע** Ita vocari lignum sive arborem istam propter mendacia  
verba & fallacia promissa serpentis, docent Rupertus Tuitiensis  
*Lib. 2. de Trinit. & ejus operibus, c. 27.* Alphonsus de Tolstato, Episco-  
pus Abulensis in *Gen. 3. q. 154. 155.* Benedictus Pererius *Comment.*  
*in b. l.* Antiquus enim, personatusque ille Serpens & vere **נָחָשׁ**,  
**עִקְלָתוֹן**, qui *cap. III. 5.* Evam, & per hanc Adamum postea se-  
duxit, ab efficientia vel efficacia aliqua divinitus indita explicuit,  
quando *EAM sapientes facere, oculos aperire, & conferendo sci-*  
*entiam Boni & Mali, similes DEO reddere posse*, persuaserat mu-  
lieri. Ita enim ad dubiam ejus responsonem, vel potius præ-  
cepti interpretationem **פֶּן חָמַתוֹן** *ne forte moriamini* v. 4. sine mo-  
ra respondet: **לֹא מוֹרַת חַמַּתוֹן כִּי יוֹדַע אֱלֹהִים כִּי כּוֹס**  
**אֲכַלְכֶם מִמֶּנּוּ וּנְפַקְרוּ עֵינֵיכֶם וְהִייתֶם כְּאֱלֹהִים יוֹדְעֵי טוֹב**  
**וְרַע** *Nempequam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in qua-*  
*cunqve die comederitis ex ea, aperientur oculi vestri, & eritis sicut*  
*Dii, scientes bonum & malum.* Mulier ergo his a serpente per-  
ceptis, mente periculi secunda, & lata effectus a Diabolo allegati, a  
Deo magis aversa, Diabolo persuadenti, credula, maxime ubi li-

bidinose vidit, quod arbor esset טוב למאכל s. iucundissimis fructibus egregia, תעוה לעיניו ipsis oculis & aspectui gratissima, נחמר להשכיל i. e. ob defectum excellentissima intellectiois desiderabilissima, seu, uti Arabs, s'avis ad escam, grata aspectu, optabilis intellectu, nil plura morata, fervente intus concupiscentia, avidè rapuit de fructu arboris ejus & comedit.

§. 6. A pravo horum verborum intellectu non multum recedit Josephus, existimans, fructus ejus virtutem ac vim habuisse augendi acumen ingenii, & solertiam ac prudentiam cogitandi, multumque contulisse ad percipiendam scientiam; Mulier enim inquit Lib. 1. Antiqv. Jud. cap. 2. p. 3. D. gustato arboris fructu, ciboque hoc delectata, etiam Adamo usum ejus persuasit, jamque se nudos esse sentiebant, atque de tegumento sibi despiciebant. Το γὰρ Φυτόν ὀξύτητος καὶ Διανοίας ὑπερχεν. Arbor enim acuminis & intelligentia erat. Vel ut Sig. Gelenius vertit: arbori enim acuminis & cogitandi vis inerat. Consentunt Rabbini, qui eam sic denominari, referente Paulo Fagio in Paraphr. Onkel. Chald. Gen. III. 7. dicunt, quod vim habuisset accelerandi usum rationis, & liberi arbitrii. Nugantur enim homines primos creatos fuisse sine perfecto rationis usu infantibus similes; quæ commenta etiam sua fecit Socinus, asserens, Adamum ignorasse vim arboris vitæ, priusquam ex arbore scientia boni & mali comederet, Lib. de statu primi hominis p. 197. & Smalcus, Adamum, quid esset, nudum esse, antea scire non potuisse, adeoque instar infantis vel pueri fuisse, Lib. de ver. & nat. Dei Fil. p. 61. Vel ut inter Ebræos alios sentire dicit Johannes Mercerus, Ebraicarum literarum quondam Professor Regius Parisiensis, Reformatus; prælectionibus suis in Genesim p. 50. huic arbori inditam eam vim fuisse, ut mentem acueret, & excitaret ad bonum sciendum, & ex adverso malum, ut etiam supra citata explicant Thargumim. (Unde Ophitarum quoque delirium, quod serpens homini autor fuerit scientiam adipiscendi.) Rob. Bellarminus Lib. de grat. primi hom. cap. 17. tradit, Damascenum dicere, Arborem scientia boni & mali vocatam, quod afferret cognitionem propria natura, adultis & perfectis utilem, rudibus autem, imperfectis & ad concupiscentiam pronis inutilem & noxiam, & ideo Adamo adhuc imperfecto prohibitam fuisse. Verba

ex Lib. 2. de O. F. cap. 11. ita habent: *ξύλον τῆ γινώσκων καλόν καί  
πονηρόν κίχληται, ἢ ὅτι δύναμιν ἐδίδοξ γνωσκῆν τοῖς μεταλαμβάνου-  
νσι τῆς οἰκείας φύσεως, ὅπερ καλόν μὲν τοῖς τελείοις, κακόν δὲ  
τοῖς ἀτελεστέροις ἔτι, καί τὸν ἔφθειρον λιχνοτέροις, ὡς περ εἰρη-  
τροφῆ τοῖς ἀπαλοῖς ἔτι καί δομοῖσι γάλακτι: ἢ δι ἀπό-  
πειραν τινα καί δοκιμῆν καί γυμνάσιον τῆς τῆ ἀνθρώπων ὑπακοῆς.  
Quapropter & lignum scientia boni & mali dicitur, aut quia virtutem  
donabat cognoscenda propria natura, quod quidem bonum erat perfe-  
ctis, sed malum infirmioribus & adhuc ad concupiscentiam proniori-  
bus: quomodo solidus cibus adhuc debilibus & lacte indigenti-  
bus: aut propter experientiam quandam, probationem & exercitium  
obedientia hominis. Quæ omnia si vera essent, sapientiores omnino  
& prudentiores post lapsum Protoplasti, quam ante fuissent eun-  
dem.*

§. 7. Verum quam male & periculose verba ista intellexe-  
rit Eva, etiamnum deplorat ac sentit miser orbis. Mentitus erat  
ὁ πλανώμενος serpens antiquus & vere sophista, cum efficaciam il-  
lam ab arbore scientiæ boni & mali sperare iusserat, & sub grandis  
boni specie pollicitus erat Protoplastis, quod per esum perventuri  
essent non ad quamcunque boni & mali scientiam, sed omnino tan-  
tam, quæ eminent sicut Deus. Nihil enim ex esu fructus vetiti e-  
os accepisse, sed potius omnia, quæ habuerant, suo & totius Humani  
Generis damno, non nisi θεανθρώπων λύτρω reparabili, perdi-  
disse vox Dei docet, cum miseratus eos cap. III. 22. diceret: *Ecce  
Adam quasi unus ex nobis factus est. Nam hoc machinabatur ser-  
pentis consolatio, ut non solum majora non conferret, sed & acquisi-  
tis nudaret, & destitutos ab his, quæ habebant, ostenderet, ait Chryso-  
stomus Hom. 16. in Genes. Quorsum enim sapientissimus rerum con-  
ditor hanc arbori indidisset vim, si hominibus tantæ virtutis, tanti-  
que beneficii fructu vesci sub horribilis poenæ incurfu periculoso  
fuisset prohibitum? Ecquid ad Sapientiæ potentiæque divinæ decla-  
rationem attinebat, vim scientificam boni & mali fructui arboris  
alicujus inserere, cum jam ante animis hospitem paradisiacorum  
pulcherrima sapientiæ sufficientis lux efficienter abundanterque es-*



set implantata & radiaret in eis excellentissima scientia, quæ & bonum quodvis ad perfectionem hominis requisitum discernebat, & ex opposito malum perfectioni adversarium ostendebat?

§. 8. Agnoscent id quoque Sapientiores Rabbini ipsi, Adamum excellenti præditum fuisse notitia, ut videre est in *Disputatione cabalistica* Rabbi Israelis, de anima, cap. 26. אדם הראשון שהיה כלו שכלי ויהל ממדרגת מלאכי עלונים ולא היה בו דעת כחיד מצד יצר הלו ואכו מי הביאו לעבוד: הראוי: i. e. primus homo excellebat intelligentia super Angelos, etiam supremi gradus, nec quicquam de fomise malo noverat, priusquam præceptum Domini transgressus fuit, a via regia descedens: Et in Schalschelot: Non est dubium, hominem primum, qui fuit plasma manuum Dei benedicti, penitus fuisse imbutum omnibus sapientiis naturalibus & divinis. Nititur ergo Josephi, cæterorumque sententia falsa hypothesi, quod Adamus & Eva creati fuerint sine perfecto rationis usu infantium similes, ut eleganter observat B. Gerhardus Comment. in Genes. II. 9. Disp. Isagog. XXII. cap. 9. §. 20. & Mercerus l. c. inquit: Consentaneum non videtur, ut cum Arbor sit materialis & corporea, rem incorpoream, vim hanc intelligendi præstet. Et Paulo post: præterea eventus ostendit aliud homini esum hujus attulisse, cum pro scientissimo etiam omnium reddiderit ignorantissimum.

§. 9. Nec isti quicquam favet sententiæ, quod cap. III. Genes. v. 7. dicitur: וידעו כי עירומם: ויתפרו עלה תאנה ויעשו להם חגרת: Et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi Perizomata. Hæc enim oculorum apertio & nuditatis agnitio non Boni cujusdam, & quidem majoris, quam antea habuerint, erat acquisitio, ceu vafre ac malitiose æquivocationum & mendaciorum pater, spiritus malignus, persuaserat Protoplastis, sed Boni amissi & mali commissi animadverso, ut recte prævis Scriptura §. quæ oculorum apertionem τὴν μετὰ τὴν αἰμαρτίαν αἰθροῖν, Sensum peccati appellat, nostrates docent Theologi. Quomodo aper-

aperti sunt oculi Protoplastis, inquit de Ecclesia nostra Orthodoxa Theologus consummatissimus, Magnus Calovius, Comment. in h. l. nisi per peccati sensum & conscientia stimulum? Quid est, quod se jam viderint turpiter nudos, quibus antea nuditas nullatenus turpis erat, (sed gloriosa, ideo non erubescabant Gen. 11. 25. Targ. Hieros. הוּא כְּהַחֲתָם לֵאמֹר לֹא יָדְעוּ מִהּ) ignorabant, quid esset erubescencia,) quam quod agnoverint se originali iustitia denudatos? Cur consueverunt sibi subligacula, nisi quia sentiebant carnem stimulis prava libidinis agitari, & legem membrorum legi mentis reluctari? Et annon illa persuasio, quod ficus foliis crederent scditatem illam tegi posse, indicium est deperditae primae sapientiae contractae caecitatis stupenda? & B. Rungius l. c. p. 175. Orbati iustitia originali, & corrupti mente & corpore vident se nudos esse, & quia corda peccato corrupta ardent pravis affectibus, agnoscunt scditatem & miseriam suam. Conf. & Eundem p. 182. ubi multiplicem oculorum apertionem & sacris describit literis.

§. 10. Docet id ipsum quoque Pater Patrum, Augustissimus Augustinus Tom. III. Edit. Plant. Lib. XI. de Genesi ad litteram, cap. 11. p. 271. Aperti sunt oculi amborum. Quomodo inquit, nisi ad invicem concupiscendum ad peccati poenam carnis ipsius morte conceptam, ut jam esset corpus mortis, in quo Lex membrum repugnaret legi mentis. Neque enim clausis oculis facti erant, & in Paradiso deliciarum caeci palpantesque oberrabant, ut vitium lignum etiam nescientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Sed Scriptura usa videtur verbo translato, ut apertos diceret oculos, qui & antea patebant. Apertos utique ad aliquid intuendum & cogitandum, quod antea nunquam adverterant. Sicut Evangelista Luc. 24. v. 31. dicit: Aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, quem per viam non cognoverant, non utique clausis oculis ambulantes, sed eum cognoscere non valentibus. Mox ut ergo preceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deficiente, omnino nudati in sua membra oculos injecerunt, eaque motu quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti sunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent. Et Chrysostomus Tom. I. Homil. XV. in Gen. p. 93. Neque enim esus e-

eo ligno oculos illorum aperuit. Nam & ante esum videbant. Sed quia gustus ille inobedientia erat argumentum, & pravaricatio mandati a Deo traditi: ob quam causam postea ablata est gloria, qua illos circumdabat, quia se indignos tali honore fecerant: propterea scriptura morem suum observans, inquit: Considerant, & aperti sunt oculi amborum, & cognoverunt, quod nudi essent. Nudati propter peccatum, superna gratia amictu, & sensibilis sua, spoliationis sensum acceperunt, ut per erubescenciam, qua invadebat ipsos, certo scirent, in quam ruinam ipsos adduxisset mandati Dominici pravaricatio. Antea fruebantur tanta fiducia, & neque sibi conscius erant, se nudos esse, nec nudi erant, quandoquidem superna ipsos gloria quovis vestimento honestior tegebat; post pravaricationem vero in tantam humilitatem redacti sunt, ut ob intolerabilem tunc erubescenciam vestem quarerent. Nam mandati pravaricatio, ut supervenit, vestem illam novam & admirabilem, gloria, inquam, & superna benevolentia detrahit, & tam confusione ineffabili eos circumdedit, quam nuditatis sensum praebeuit. Nec non Theodoretus, Episcopus Cyrensis, quæst. 33. in Genes. p. 10. Quod etiam ante esum non habebant oculos clausos, satis constat, iis, qui volent attendere. Quomodo enim mulier lignum vidisset, & cibo pulchrum, & oculis gratum atque formosum (id enim licet intelligere) si non habuissent oculos apertos? Vocavit igitur divina scriptura sensum illum peccati: Mox enim post admissum peccatum stimulat conscientia.

S. II. Alii igitur opinantur, arborem istam scientiæ boni & mali dictam fuisse per πρόληψιν, h. e. ut Cicero transtulit, Anticipationem, ab eventu aut experientia, quoniam homini acciderit, ut ex comestione fructus arboris vetitæ experiendo cognosceret; discrimen inter bonum, quo ante peccatum fruebatur, & malum, in quod peccando incideret. Ita Bellarminus, rejecta sententia Josephi & Damasceni, l. c. ait: lignum scientiæ boni & mali sic appellatum, quod gustatum ob inobedientiæ culpam multa mala adferret, ac per hoc homines experiendo discerent discrimen boni & mali, quod antea sola contemplatione didicerant: citatque hanc in rem Theodoretum, Augustinum, aliosque, quorum ILLE Quæst. 26. in Genes. ita disserit: Quomodo fieri poterat, ut ii, qui

col-

colloquio divino dignati, & ad imaginem divinam creati erant: notitiam boni & mali non haberent: & quomodo Deus abyssus iustitia, dedisse legem, illis, qui a natura notitiam non haberent nec intelligerent, bonum esse, servare preceptum: perniciosum transgredi? Habebant igitur sine dubio notitiam: sed experimentum postea ceperunt: addit idem exemplum parvulorum, si nudentur, non erubescuntium. HIC Tom. III. Lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 14. p. 248. Scribit: Nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi ruina pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris praeponat. Hoc expertus est homo contemnens preceptum Dei, & hoc experimento didicit, quid interest inter bonum & malum: Bonum obedientia. Malum autem inobedientia, id est superbia & contumacia, perversa imitationis Dei & noxia libertatis. Hoc autem in quo ligno accidere potuit, ex ipsa re, ut jam supra dictum est, nomen accepit. Malum enim nisi experimento sentiremus, quia nullum esset, si non fecissemus. Neque enim ulla Natura mali est, sed amissa boni hoc nomen accepit. Et Tom. V. Lib. 14. de Civ. Dei cap. 17. p. 166. Aperti sunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant; sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant: Unde & ipsum lignum, eo quod istam faceret dignoscantiam, si ad vescendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum scientia boni & mali. Experta enim morbi molestia, evidentior sit etiam jucunditas sanitatis. Cognoverunt ergo, quia nudi erant: nudati scilicet ea gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis, nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod feliciter ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent. Item Tom. VIII. in Ps. LXX. p. 314. quem locum & Aloysius Novarinus allegat, in Mose expenso p. 62. n. 158. Arbor illa appellata est scientia dignoscendi boni & mali, non quia inde talia quasi poma pendebant, sed quicquid esset arbor illa, cuiuslibet fructus esset: ideo sic vocata est, quia homo, qui nollet bonum a malo discernere per preceptum, discreturus erat per experimentum, ut tangendo vetitum, inveniret supplicium. Ut ita dicitur Scire & Scientia  $\kappa\alpha\tau\alpha\chi\eta\sigma\iota\sigma\iota\varsigma$  pro experimento, & Sensu boni & mali sumantur, sicut rursus Mercurius loc. cit. observavit. Atque istam Augustini opinionem B. Lu-

C

the-

therus quoque laudat Comment. in Genesio f. 27. a. Augustinus, scribit, & qui eum secuti sunt, recte dicunt, sic esse nominatam a futuro eventu, & f. 28. a. Habet autem nomen scientia boni & mali, sicut Augustinus dicit, quia postquam in ea peccavit Adam, non solum vidit & expertus est, quid boni amisit, sed etiam in quantum miseriam per inobedientiam suam coniectus sit. Hunc etiam sequuntur Osiandri & Chytræus in Genesio. Nec abludivit Mercerus: Ego, ait l. c. ab eventu per prolepsin putarim hanc arborem dictam, non ab effectu, ut precedentem (arborem vitæ) quod huius arboris gustatum jam inceperit cognoscere, quanta bona amisisset, quanta felicitate excidisset, & in qua se & totam suam posteritatem mala coniecisset, culpa sua.

§. 12. At Deus nunquam hunc definiuit eventum, igitur nec per prolepsin ex parte hominis ab eo, sive subsequenti tristi experientia, in quam homo ceciderat, id nominis consequi potuit. Verum etiam sic fuisset promissum serpentis de scientia experimentum & ex eadem ratione dici potuisset arbor apertionis oculorum. Sed, uti arborem vitæ, ita etiam hanc suo appellavit nomine ipse Deus, priusquam homo a serpente seduceretur; & nomen illud habuisset, etiam si seductus non esset: idque ideo, ut objectum esset Legis divinæ, & quasi ara Dei, templum & Schola Theologica, in qua contemplari, discere, & experiri posset, quid bonum esset, quid malum? Bonum in obedientia Dei & concreta integritate persistere: Malum delabi ad inobedientiam & pristinam integritatem amittere, ut loquitur B. Gerhardus l. cc. Nam si Adam ab arbore vetita abstinuisset, tum hoc externo publicoque velut symbolo, timorem, amorem, honorem atque obedientiam erga Deum declarasset: tota quoque ejus posteritas ad hanc arborem, tanquam ad Ecclesiam, aut aram ac templum Domini, convenisset, ut Deo creatori suo cultum præstitisset debitum & pro omnibus beneficiis in creatione & conservatione toti generi humano concessis, gratias egisset.

§. 13. Et hanc veram esse causam, cur sic appellata & interdicta Protoplastis sit arbor scientiæ boni & mali, præclare testatur B. L.

B. Lutherus, in aureo suo super *Geneseos* librum *Commentario*, fo  
27. Postquam enim sententiæ Augustinæ fecisset mentionem, ait:  
Conditur nova arbor, ad discrimen boni & mali, ut haberet Adam cer-  
eum signum cultus & reverentia erga Deum. Nam cum omnia ei tra-  
dita essent, ut iis pro arbitrio frueretur, seu ad necessitatem, seu volu-  
ptatem vellet, requirit tandem Deus ab Adamo, ut in hac arbore sci-  
entia boni & mali, reverentiam & obedientiam præstaret erga Deum,  
& hoc quasi exercitium cultus Dei retineret, ne ex ea quicquam gu-  
staret. Et fol. 30. Instituitur igitur hic, inquit, Ecclesia, antequam  
Oeconomia esset. Nam Dominus concionatur hic Adæ, & proponit eî  
verbum. Hac enim concio, Adæ & omnibus nobis, si in innocentia  
perstisset, fuisset tanquam Biblia, nec opus habuissimus papyro, atra-  
mento, calamis, & illa infinita multitudine librorum, quæ hodie indi-  
gemus, nec tamen millesimam partem ejus sapientia consequimur,  
quam Adam habuit in Paradiso. Totum studium sapientia hæc breviter  
concio absolvisset, ac ostendisset nobis, tanquam in tabula pictam boni-  
tatem Dei, qui sine illis incommodis naturam hanc creasset, quæ post-  
ea per peccatum sunt consecuta. Et paulo post: Hæc igitur arbor  
scientia boni & mali fuisset Ecclesia, ad quam Adam cum posteritate  
sua, die Sabbato convenisset, & post refectionem ex arbore vita, præ-  
dicasset Deum, & laudasset eum pro tradito dominio omnium creatu-  
rarum super terram. Prædicasset Adam summum beneficium, quod  
esset cum posteritate sua conditus ad similitudinem Dei. Hortatus er-  
set, ut sancte & sine peccato viverent posteri, ut operarentur fideliter in  
horto, ac custodirent eum diligenter, ut summo studio caverent sibi ab  
arbore scientia boni & mali. Hunc externum locum, ritum, verbum,  
cultum habuisset homo, postea rediisset ad operationem & custodiam,  
donec præfinitum tempus impletum esset, quo esset translatus in celum  
cum summa suavitate. Sed loquimur de his bonis, concludit tandem,  
tanquam de thesauro perduto, & merito suspiramus ad eum diem, in  
quo restituentur omnia. Utile autem est, ut hoc quoque consideremus.  
Deum Adæ Verbum, cultum & religionem dedisse nudissimam, purissimam  
& simplicissimam, in qua nihil laboriosum, nihil sumtuosum fu-  
it. Non enim præcepit mactationem taurorum, non fumum thuris,  
non vota, non jejunia, non alias afflictiones corporis. Hæc tantum vult,

ut laudet Deum, ut gratias ei agat, ut letetur in Domino & ei in hoc obediat, ne ex vetita arbore comedat. Sic quoque Chytraus l. c. Si Adam non fuisset lapsus, hæc arbor fuisset Templum, in quo coluisset Adam Deum, & suam obedientiam erga Deum, externo opere declarasset. Conf. & Chrylost. in Genes. cap. II. Hom. XV.

§. 14. A Fine igitur seu Usu divinitus constituto, uti Arbor vitæ, ita etiam scientiæ boni & mali Arborem suam accepisse nomen, certum est. Unde & Johannes Calvinus recte in b. l. scribit: utriusque arbori Epitheta seu nomina imposta fuisse, ab effectu: neque id hominum, sed Dei placito. Quod si tamen quis cum B. Gesnero Comm. in cap. II. Gen. quest. XIII. dicere velit: ante lapsum hanc arborem ita dictam fuisse a Deo *ὄγω*, a scopo & usu arboris divinitus constituto; Post lapsum autem hoc nomen retinuisse ab eventu; & hoc pacto verba Augustini, itemque B. Lutheri de Augustini sententia interpretari & conciliari voluerit: non adverbisimus ei; id tantum observet, eventuale illam denominationem esse accidentalem, ac contingentem, hanc vero primariam, principalem, & primitivam a Deo intentam. Favere enim nostræ quoque sententiæ Augustinum, & forsitan magis, hæc docent verba ex cap. XV. loc. cit. de Gen. ad lit. Frustra autem nonnulli acute obtusi sunt, cum requirunt, quomodo potuerit appellari lignum dignoscens boni & mali, antequam in eo transgressus esset homo præceptum, atque ipsa experientia dignosceret, quid interesset inter bonum, quod admisit, & malum, quod admisit. Lignum enim tale nomen accepit, ut eo secundum prohibitionem non tacto caveretur, quod eo contra prohibitionem tacto sentiretur. Neque enim, quia inde contra præceptum manducaverunt ideo factum est illud lignum dignoscens boni & mali, sed utique etiam si obedientes essent, & nihil inde contra præceptum usurpassent, id recte vocaretur, quod ibi iis accideret, si usurparent. Quænam admodum, si vocaretur arbor saturitatis, quod inde homines possent saturari, nunquid si nemo accessisset, ideo nomen illud esset incongruum, quandoque quidem cum accederent & saturarentur, tunc probarent, quam hoc recte arbor illa vocaretur. Quod ipsum & placet Jacobo Bonfretio, Lingvæ sanctæ in Academia Duacena olim Professori, idque tri-

tribuit Augustino. *Vocata est, inquit in Pentateucho illustrato cap. 2. p. 118. hac arbor Scientia boni & mali, vel ab eventu, ut plerique, qui nolunt hoc nomen illi ab initio inditum, statuunt: vel quod magis placet, a virtute ipsius arboris non physica, sed morali, quod scilicet futurum erat, ut ad ejus gustationem hac pena hominem sequeretur, quia ipse experimento disceret, quid inter bonum quo spoliaretur, & malum quod incurrisset, interesset: quia ratione optime defendi potest, etiam hanc arborem sic vocatam ante peccatum. Et hanc posteriorem rationem D. Augustinus Lib. 8. de Genesi ad lit. cap. 15. sequitur.*

S. 15. *Quomodo vero in hoc Religionis Praecepto totus Decalogus sit comprehensus, pulchre docet Tertullianus Lib. advers. Jud. cap. 2. p. 92. In principio, inquit, Mundi ipsi Adas & Eva Deus Legem dedit, ne de fructu Arboris plantata in medio Paradisi ederent, quod, si contra fecissent, morte morerentur. Quia Lex eis sufficeret, si esset custodita. In hac enim Lege Adas data, omnia praecepta condita recognoscimus, quae postea pullulaverunt data per Moysen, id est, Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo & ex tota anima tua; & diliges proximum tibi, tanquam te, Et, Non occides: Non machaberis: Non fraudaberis: Falsum testimonium non dices: Honora Patrem tuum & matrem: Et alienum non concupisces. Primordialis lex est enim data Adas & Eva in Paradiso, quasi matrix omnium praeceptorum Dei. Denique si Dominum Deum suum dilexissent, contra praeceptum ejus non fecissent: si proximum diligerent, id est, semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atque ita in semetipso homicidium non commississent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei praeceptum: a furto quoque abstinuissent, & de fructu arboris etiam non degustassent, nec a conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestuissent. Nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei, quod similes Deo essent futuri. Atque ita nec Deum offendissent, ut Patrem, qui eos de limbo terra, quasi ex utero matris, figuraverat. Si alienum non concupissent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observare Deus sanxerat, omnia praecepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quae suis temporibus edita germinaverunt. Augustia pagellarum non permittit, pluribus hic de-*



monstrare, quam grave peccatum fuerit, comedere de hac arbore, egerunt de eo jam Magnif. Dn. D. Præses, Patronus atque Præceptor meus omni observantiæ cultu æternum venerandus, in *Disp. de Adami Penitentia*, B. Gesnerus in *cap. III. Genes. quasi. 10.* & B. Gerhardus *Disp. Isag. XXIII. cap. 4.* &c. Conferri etiam hic possunt notatu dignissima ea, quæ Hic Tom. 3. *Loc. Th. de Lege Dei §. 16. 24.* solide & erudite adducit de *decem præceptorum vestigiis*, adeoque de praxi Legis Moralis antè Mosen in *Genesi* fundata.

§. 16. Qualis vero vel cuius speciei hæc arbor fuerit, quæ sunt hic nonnulli. Mahometani in *Alkorano suo* tradunt, fructum illum, in quo prævaricati sunt Protoplasti, non arboris cujusdam, sed *triticum* fuisse *septem spicarum*, quarum *unam* rapuerit Adam, *granorum quinque*, de quibus *duo* comederit ipse, *duo* dederit Evæ, *quintum* vero secum detulerit. Quod delirium recitasse est refutasse. Fuisse enim hoc lignum scientiæ boni & mali ex genere arborum, certum est. Nam *prorsus*, erudite ait Augustinus de *Gen. ad lit. Lib. 8. cap. 6. erat visibile ac corporale sicut arbores cætera*. Quod ergo lignum esset non est dubitandum: Sed cur hoc nomen accepit, requirendum. Mibi autem etiam atque etiam consideranti, dici non potest, quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam, neque enim qui fecerat omnia bona valde in *Paradiso* instituerat aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Arbor itaque illa non erat mala. Produxit enim *יהוה* כל עץ נחמד למאכל טוב וועץ החיים כתוך הגן וועץ הדעת טוב ורע: *omne lignum, pulchrum visu & ad vescendum suave. Lignum etiam vita in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali, cap. II. v. 9.* (Conf. cap. I. v. 11.) וירא אלהים את כל אשר עשה והנה טוב (Conf. cap. I. v. 11.) *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, cap. I. 31.*

§. 17. Theodoretus, *Quasi. 28. in Gen. p. 9.* statuit, fuisse *Ficum*, (quod & R. Moses Bar Cepha, Procopius, Isidorus Pelusiotæ, Gennadius, Hugo de S. Victore, docente Magnif. Dn. D. Calovio & B. Gerardo, *Comm. in h. l. volunt*,) eandem videlicet, ex  
qua

qua carptim Adam & Eva demississent folia, cum non probabile ad-  
modum sit, ad aliam eos ad consuenda sibi Perizomata accessisse ar-  
borem, sed illico ubi comederunt, & se nudos conspexerunt, pudore  
suffusos, cooperuisse corpus, ex cap. III. 7. *Consuerunt folia Ficus,  
& fecerunt sibi Perizomata.* Sed nullius hanc rationem esse pon-  
deris, præclare docet B. Chemnitius in *Disp. de Arbore scient. b. &  
m. §. 11.* Nam si ex arbore scientiæ boni & mali Perizomata sibi fe-  
cissent Protoplasti, certe fuissent veriti, ne per hæc ipsa folia trans-  
gressio ipsorum quasi proderetur & manifestaretur. Cogitassent  
enim Dominum statim agniturum esse ista folia, & ex decerpitis fo-  
liis eos de sua transgressione condemnaturum. Unde timor etiama  
adegit eos, ut ad auditam Domini vocem trepidarent, & inter ar-  
busta se absconderent, *cap. III. 8.* Neque etiam post esum de ar-  
bore vetita diu circa eam hæsit Eva, sed mox, ut credibile est, ad ab-  
sentem maritum properavit, factum exponens, & ut ipse ederet, ei  
persuadens: *Tulit enim de fructu illius & comedit, deditque viro  
suo, qui comedit, dicit Moses cap. III. v. 6. Genes.* Et ipse Adam *vers.  
12.* respondebat Domino: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit  
mibi de ligno, & comedi.* Quoniam igitur Adam absens fuerat,  
nec ipsemet de arbore vetita tulerat fructum, quod utique factum  
fuisset, si prope eam stetisset; sed mulier ei dederat, & comede-  
bat. Ideo de aliis potius, quam vetita arbore decerpserunt folia. Imo eos  
ipso etiam postmodum ex metu abstinnisse ab ista arbore, nullum  
est dubium. Nam cum tam grave ex ea sensissent damnum, pro-  
babile est, ingentem illius arboris horrorem & odium eos cepisse.  
Pulchre id etiam ostendit Tostatus Tom. I. Oper. in Genes. capi-  
tulo XIII. q. 164. p. 96. *Unde de quacunqve specie, inquit, arborum  
incerti sumus, an lignum scientiæ boni & mali esset in illa specie, nisi de  
arbore ficulnea: quia certum est, quod non fuit ficulnea. Nam post-  
quam viderunt se nudos, post peccatum consuerunt folia ficus & fecerunt  
sibi Perizomata. Sed certum est, quod non auderent jam post  
peccatum tangere illam arborem, ne majus malum inde eis accideret.  
Ergo cum acceperunt folia ficus, certum est, quod arbor ficus non  
erat lignum scientiæ boni & mali. Sic de aliis speciebus omnibus  
sumus incerti, quia in quolibet earum poterat esse istud lignum. I-*

tem;

temque Bonfrerius, qui, citata prius Theodoreti sententia, ita l. c. concludit: *Sed hac ratio exigui momenti est: quid enim si arbor illa exigua folia habebat, & minime ad contegendum apta, annon aliunde petendum fuit? quid si ficus illi arbori vicina erat? quid si Adamus non ad arborem ipsam pomum comedit, sed alibi accepto ab Eva pomum, ut Scriptura verba sonant? quid si non statim erubuerunt, sed post aliquod tempus tantum, experti rebellionem carnis? Hac igitur & alia sequelam, si non enervant, saltem insigniter labefactant.*

§. 18. Alii arborem istam *Malum* fuisse contendunt propter effatum Salomonis *Cantic. VIII. 5.* **חַרְחַל הַתְּפוח עוֹרְרַתְךָ** *Sub arbore malo suscitavi te: ibi enixa est mater tua, ibi peperit genetrix tua.* Quam sententiam ipse amplectitur Augustinus, ita de *Genes. ad lit. L. XI. c. 31. p. 271.* dicens: *Tale quippe pomum, credendum est fuisse in illa arbore, cuius generis pomum iam in aliis arboribus innoxia senserat: quo cum sentire videtur. B. Lutherus l. c. f. 27. b.* quando scribit: *Rationi valde videtur ridiculum, quomodo unum pomum sic potuerit esse noxium, ut totum genus humanum per infinitam quasi successione perdidit, idque aeterna morte. Sed pomi hac non fuit virtus: Adam quidem in pomum figit dentes, revera tamen figit dentes in aculeum, qui erat prohibitio Dei, & inobedientia erga Deum &c. Conf. fol. 46. a. b. f. 47. a. f. 84. b. &c.* Quidam *Vitem* fuisse malunt, quia Salvator noster ex *Vitis* fructu Sacrosanctam instituerit *Eucharistiam*, *Matth. 26, 27. 29.* Sed meræ hæc sunt conjecturæ: Moses enim vocat arborem, non *vitem*, nec firmum ex *Cantico Salomonis*, quum cuncta in eo fere sint *parabolica*, peti potest argumentum. Dicimus potius cum *R. Abarbenele Comm. in Legem f. 26.* **עַץ הַדַּעַת לֹא גָלָה הַקִּבְּה אוֹתוֹ אֵילָן לְאָדָם וְלֹא אֶתִיר** *Arborem scientiæ non revelavit Deus ulli homini, neque etiam unquam revelabit; id quod est verissimum: & B. Augustino Lib. VIII. de Gen. ad terram cap. 5. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Tacente enim Scriptura, quis loquetur?*

§. 19. Ex quibus hactenus dictis fati, ut opinor, Præcepti hujus videre est qualitas, & quam facile fuisset primis nostris parentibus ipsi, utpote haud gravi, obedire, summaque cum voluptate Deo inservire, & quam nullatenus in Deo quærenda sit Lapsus causa. Facillimum enim fuisset in tanta integritate Naturæ & magna ciborum copia ab unica arbore, reliquis omnibus & fortassis etiam ejusdem speciei, etsi in aliis individuis, concessis, in honorem Dei abstinere, veluti Rupertus monstrat *Lib. 2. in Gen. cap. 30.* & Augustinus *Lib. 8. de Gen. ad lit. c. 13.* Quia vero Legis proprium est obligare vel ad obedientiam, vel ad pœnam, ideo Legi suæ Deus addidit comminationem, quando ait: *Quocumque die comederis ex arbore scientia boni & mali תמות מות* morte, seu, *moriendo morieris;* sive enim vocem תמות nominaliter, sive gerundive exprimas, parum interest: nec erroris accusandi Græci sunt codices, quod plurali utantur moriendi vocabulo; dubium namque nullum, quin Eva interfuerit dato huic præcepto & pœnali interdicto. Nugæ autem, quod omnes animæ humanæ illico a primordio mundi ante corpora creatæ, huicque interfuerint mandato, ceu Judæi fabulantur. Sic enim Menasse ben Israel *Lib. de Creat. p. 61.* *Communis opinio est omnium Hebræorum, animas humanas præcessisse corpora.* Hinc ad *Deut. 10, 14.* *Neque vobiscum solis ego pango fœdus meum &c.* sic commentantur Rabbinæ: *כל הנשמות שהיו כן אדם הראשון ושהיו עד סוף העולם כלם נבראו בששת ימי בראשית וכלן כגן אדן וכלן במתן תורה שני כי את אשר ישנו פה עמנו עמד היום ואת אשר איננו פה עמנו היום:* *i. e. Omnes animæ, quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futura sunt usque ad consummationem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ 6. diebus creationis, omnesque in horto Edenis fuerunt, & dono legis interfuerunt: sic enim dicitur; cum eo qui astat nobiscum hodie, & cum eo qui non est nobiscum hodie.* Idem quoque cum Menasse docet R. Abarbenel ad locum *Jerem. l. v. 5.* & docetur in *Medrasch Tillim & Jalkut ad Psal. 139.* nec non in *Massech. Chagiga cap. 2. de eod. loco.*

§. 20. Nonnulli Ebræorum, quos refert Paulus Fagius in suo פירוש, dicunt *hæc reduplicatione מות תמות duplicem mortem, animæ & corporis, indicari, sed ipse arguitas esse opinatur,*

D

quum

quum על דרך משט *juxta simplicem sensum, linguam sanctam, hae proprietate loquendi, significetur certitudo, vehementia & acceleratio, ut sensus sit: omnino & certissime, quin & omni ratione horribili morieris, perinde ut 1. Reg. 11, 37. ירע ירע כי מות תמות indubie scias, te certo certius moriturum & Gen. 37, 33. טרף טרף discerpendo discerptus est Joseph, h. e. crudeliter, vel omnino, certoque discerptus est. Vide etiam loca Exod. 19, 12, 13. Num. 11, 32. c. 26, 65. 1. Sam. 22, 16. 2. Sam. 12, 14. c. 14, 14. & c. & Conf. Vatenium l. c. p. 165. Glassium l. c. can. 37. p. 350. Flacium in Clave Script. col. 673. & c. Statuunt enim Ebraei, Adamum utraque morte, tam spiritali, quam corporali, a Deo punitum esse: אילו הכשר חוטא כלא רוח מרוע הכפש נענשת וכי זה חוטא זה נאנש אילו הכשר חוטא כלא רוח מרוע הכפש נענשת וכי זה חוטא זה נאנש si, ajunt, caro peccat absque anima, cur anima punitur? num aliud est quod peccat, aliud quod punitur? quin potius sic se res habet, quod ambo una peccent.*

§. 21. Grotius in h. l. verba morte morieris interpretatur: vires tua sustentata ante per arborem vita deficient: quae via est ad mortem. Sed glossa haec si locum haberet, nil nisi privationem arboris vita Deus minaretur, quam ad virium sustentationem concedere nollet amplius, ut natura & sponte sequutura sit non tantum virium deficientia, sed ipsa etiam mors. Hausta haec e Pelagianorum lacunis est expositio, qui, ut de iis Augustinus Tom. VI. de Haresibus, bar. 88. lit. D. ait, Ipsum quoque Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse se corpore moriturum, neque mortuum merito culpa, sed conditione natura: Et Tom. II. Epist. 106. p. 185. lit. B. inquit: Obiectum est enim eum nempe Pelagium, dicere; quia Adam sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quos sequuntur Sociniani, ut videre est in Catechismo Racoviensi p. 21. quin addunt, ne quidem sciri voluisse ab Adam immortalitatis viam p. 26. praevante Infausto Magistro, cujus in Lib. de statu primi hom. p. 11. haec est sententia: Adamus, antequam peccaret, quod ad ipsius naturam attinet, erat mortalis, ne post peccatum. Sed post peccatum non modo natura mortalis, sed etiam morti penitus obnoxius fuit. Conf. p. 57. & libellus ejus svaforius p. 55. Miscell. p. 85. Osterodus similiter Instit. Germ. c. 33. negat demonstrari posse primum hominem conditum fuisse immortalem, itemque Schmalzius Disp. 7. cont. D. Franzium & Joh. Crellius cont. Hugo. Grotium. Quo errore & seductus Augustinus Eugubinus fuit, ut in An-

in Annot. Gen. 2. scriberet; Ex Adami lapsu genus humanum non corporis, sed anima mortem incurrisse, & fuisse homines morituros, etiam antequam peccassent. Consentit Stephanus Curcellæus Lib. de jure Dei cap. 11. p. 130. Garassus, Joh. Mercerus, aliiqve Pontifici & Anabaptistæ nonnulli, Arminiani, Novatoresqve Calixtin. quorum singula verba adducere, jam non vacat.

§. 21. Hi omnes docent, Mortem esse consequens naturale, non minus in hominum, quam in brutorum natura, propter quam causam etiam Adamum ante peccatum fuisse mortalem. Unde sequitur, quod homines in ipso integritatis statu morti subjecti & tandem actu ipso mortui fuissent, nisi per singularem & extraordinariam Dei gratiam a morte fuissent liberati. Quæ gratia quum per peccatum sit præcisa, hinc in Scripturis dici, mortem esse peccati pœnam, vel per peccatum intrasse in Mundum. Observandum vero & hoc apprime est. Socinum cum sociennis per moriendi necessitatem non intelligere necessitatem naturalem dissolutionis Animæ & Corporis, quam ille mortalitatem appellat, atqve ita apud eum nihil interest inter mortalitatem & ipsam mortem naturalem, sed per moriendi necessitatem intelligit mortem æternam, quam Solum esse proprie peccati pœnam contendit, id est, talem Animæ & Corporis separationem, quæ sit perpetua. Ab hac sententia non excludendi sunt Semipelagiani, seu Scholastici & Pontificii, Illi scriptitare non verentur, immortalitatem in homine primo ante lapsum donum fuisse supernaturale, non proprietatem naturalem, adeoque eum per & juxta naturam statuunt etiam mortalem. Videatur non solum Peterius l. 5. in Gen. Disp. de tertia excell. hom. & Toriellus in Annal. f. 32. sed & Bellarminus l. c. cap. 9. Et hoc ideo, ut tueantur eo commodius illud suum πῶτον ψεύδος, Naturalia post lapsum mansisse integra.

§. 23. Vera & orthodoxa nostra est sententia: Ante peccatum hominem morti non subjectum fuisse per naturam: sed immunem esse potuisse perpetuo a morte per conditricem gratiam, per quam accepit immortalem naturam, seu & possibilitatem non moriendi & impossibilitatem moriendi, per causam naturalem, quoad usque non deficeret a DEO per peccatum: atqve adeo immunitas hæc a morte non supernaturalis in sensu papistico: sed naturalis fuit (non quidem quatenus naturale vel accidentali, vel gratiæ ut sic opponitur, vel

id quod naturam physice ut principium constituit, vel ex principiis naturalibus physice fluit, naturale dicitur: sed quatenus adventitio extrinsece opponitur, & quod sive internum sive externum a gratia conditrici ad melius esse homini in ipsa creatione est concessum) non absoluta, qualis erit in altera vita: sed hypothetica resp. possibilis deflectibilitatis per lapsum, & conservationis individui per esum maxime arboris vitæ, nam *עץ החיים* לענין *ההרופו לשמו בכריאון*: *Lignum vitæ (pertinebat) ad sanationem & conservationem creaturarum*, inquit R. Abarbenel, l.c. (conf. Magnif. Dn. D. Calov. in B. ill. ad Gen. 11. 9. & Comm. ad l. c. Dannhauer. Hodof. Christ. p. 1007. Varenium Decad. Mos. in Genes. Loc. VIII. concl. 4. Gerhard. Comm. in Gen. 11. 9. item Tom. 11. Loc. Tbi. de Imag. Dei in hom. ante laps. p. 112. n. 114. & Disp. Isag. XXI. c. 9. §. 20.) omnis vero & mors & mortalitas, quippe quæ est ex *δυσνεασία* & relicta qualitatum pugnancia, externisque contrariis in *δυσνεασίαι* illam agentibus, & tandem totum resolventibus, ortum habuit a peccato, quod est omnis dissonantiæ, convenientiæ, ut & externæ contrarietatis ac pugnæ omnis denique *ἀταξίας* & confusions causa in natura.

§. 24. Hunc enim statum Theologiæ controversiæ dudum nostri vendicarunt Theologi I. ex hoc ipso præcepto & interdictione *penali*, in quo Deus expresse homini mortem, ut poenam peccati comminatus fuerat, quicquid autem homini ceu poena ob peccatum denunciatur, illi per naturam homo nulla ratione obnoxius erat ante & extra peccatum. II. ex ejusdem executione judiciali, Gen. 3. 15. Ubi dicitur hominem, qui de arbore vetita comederat, in pulverem convertendum esse. Poena autem *ἀμαρτίας* seu culpæ & peccati non potest esse conditio *τῆς φύσεως* seu *natura*. Si enim Deus hominem a principio mortalem fecisset, nequaquam peccantem morte condemnasset; Nam mortalem mortalitate nullatenus condemnat, inquit Gregor. Nyssenus lib. de creat. hom. c. 11. III. a concordanti Apostoli Pauli adseveratione, *διὰ τῆς ἀμαρτίας ὁ θάνατος* Rom. 5. 12. ubi & mors dicitur *εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον διὰ ἀμαρτίας*, & eadem *διῆλθεν εἰς πάντας ἀνθρώπους, ἐφ' ᾧ πάντες ἠμαρτον*. Si ergo mors per peccatum in mundum inveniata est, homo ante lapsum naturaliter non fuit morti obnoxius, sed immunis prorsus ab ea extitit. Sic etiam cap. 6. v. 23. dicitur *Stipendium peccati mors*. Ubi in Fonte vox habetur *ἐψώνια*, cujus singu-

fingulare ὁ ψάμιον proprie significat edulium, cibum pani additum,  
 condimentum epulas & præcipue pisces, *metaphorice* stipendium  
 militare, olim enim militibus non dabantur nummi, sed cibi, & sic  
 peccator comparatur militi, peccatum labori militis in expeditioni-  
 bus bellicis, mors stipendio militari. Non ergo ante vel extra pec-  
 catum mors fuisset, velut non est ante & extra meritum stipendi-  
 um, nec ante & extra culpam pœna locum habet. Pari mo-  
 do *cap. 5. v. 13. 14. 15. 17. 18.* Adam & Christus, peccatum & justi-  
 tia, mors & vita æterna opponuntur, & *cap. 8, 10.* docetur, *corpus*  
*mortuum esse propter peccatum, 1. Cor. 15, 12. per hominem mors, v. 22.*  
*Sicut in Adamo omnes morimur, ita & in Christo omnes vivificabun-*  
*tur, v. 55. Stimulus Mortis peccatum est. IV. a totius hominis ante la-*  
*psum perfectione & restitutione excellenti, cum quâ minime consta-*  
*bat δυσμετρία corporis, dissolutio vel separabilitas anima a corpore*  
*præternaturalis corruptibilitas & mutabilitas naturalis, vel etiam*  
*mors totius natura hostis, 1. Cor. 15, 26. Creatus quippe homo non*  
*modo erat אדם צדיק valde bonus Gen. 1, 31. ישרי עובד, rectus & in-*  
*teger anima ac corpore, Eccl. 7, 31. sed & ad ipsius Dei imaginem*  
*Gen. 1, 27. Hæc enim immortalitatem una includit, quia Deus im-*  
*mortalis est, cujus imago suam repræsentare debet exemplar, nam*  
*incorruptibile non figuratur in corruptibili, & corruptibile non est ima-*  
*go ejus, quod est incorruptibile, eleganter scribit Basilius in Hexæmo*  
*Homil. 10. Et quum pars Imaginis divinæ in primo homine fuerit*  
*immortalitas, & vero Imago Dei in ipso fuerit non supernaturale*  
*aliquod donum, sed naturalis & intrinseca ipsius proprietas, ex eo*  
*recte colligitur, etiam immortalitatem fuisse in ipso non superna-*  
*turale aliquod donum, sed proprietatem naturalem. Atque hinc*  
*Autôr libri Sapientiæ (qui licet sit Apocryphus, tamen quia quâdam*  
*nihil adversum habet veritati canonicæ, uti argumentum, vel certe*  
*ut testimonium abundans recte admittitur,) cap. 2, v. 23 ait: ὁ θεὸς*  
*ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον non εἰς ἀφθαρσίαν, sed ἐπὶ ἀφθαρσία, vel*  
*ut alii legunt ἐν ἀφθαρσία, & immediate per quâdam αἰτιολογί-*  
*αν subjungit, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ιδιότητος ἐποίησεν αὐτόν, &*  
*ad imaginem propriæ suæ Naturæ fecit eum: item v. 24. φθόνω δὲ δι-*  
*αβόλῃ θανάτου εἰσήλθεν εἰς τὸν κόσμον. Ubi & excluditur mor-*  
*talitas a prima creatione hominis, & incorruptibilitas concreta ceu*  
*pertinens quid ad imaginem Dei, in primo homine designatur, &*



21  
*mortis origo ad invidiam Diaboli refertur, a Deo vero creatore re-  
 movetur. Plus enim est ἐν ἀφραστία, quam ἐν ἀθανασία, quia  
 excludit non solum mortem, sed etiam omnem mortalitatem, ade-  
 oque omnem φθαρτικὴν κακότητα, dicente B. Gerardo Loc. de  
 Morte §. 40. Indicat id ipsum quoque Sapiens c. 1. 13. 14. Deus mor-  
 tem non fecit, nec latatur in perditione vivorum. Creavit enim Deus  
 εἰς τὸ εἶναι, ut essent omnia, & ut salutarer, σωτήριοι, sint nationes  
 mundi, & non est in illis Φάρμακον ἐλέθρου, quod reddendum vene-  
 num perditionis, vel mortiferum. Vox enim Φαρμάκου medicæ est  
 significatio; hic vero accipitur in seqvioxem partem, uti cum ad-  
 dita vox ἐλέθρου, tum quæ antecedunt, luculenter edocent. Quid?  
 quod in vita æterna erit restitutio status integritatis & ἀποκατάστα-  
 σις πάντων Act. 3. 10. jam vero in vita æterna mors non erit Apoc. 21.  
 4. E. nec in statu integritatis fuit. V. a negata causa mortalitatis  
 c. g. materia ex qua: falsum quippe materiam semper meditari ma-  
 leficium i. e. corruptionem, item esse ob transmutationem primo &  
 per se, cum sit data ad subsistentiam formæ corporeitatis in substantia:  
 unde si desit forma cum qualitatibus contrariis, nulla erit transmu-  
 tatio & corruptio: quin nec a materia remota ad corruptibilitatem  
 valet consequentia, nec a materia, ut principio corruptionis remoto ad  
 naturalem corruptibilitatem, in materiato, exemplo cœli, terræ,  
 materiæ primæ &c. nec a materia propinqua: quia potuit esse ele-  
 mentorum mixtura sine δυσκρασία: nec uti vita est totius suppositi:  
 ita mors & mortalitas fingenda est materiati; præcisa forma, cum  
 potius per inspiratam מִיְיָ הַטָּהוֹר non exclusa conditoris gra-  
 tia, nec obstante elementorum mixtura, immortalis potuerit primus  
 homo conservari: nec causa mortalitatis locus, quippe accidentalis,  
 extrinsecus, nihil habens inditum corruptivi: quin si vel locus ali-  
 quid corruptivum naturæ humanæ habuisset, vel etiam mortalitas  
 primo homini naturalis fuisset, ejus causa Deus Creator fuisset,  
 quippe non hominis saltem: sed & materiæ conditor, quod in Or-  
 thodoxorum scholis ἀτοκον est ἀτόπων ἀτοπώτα.*

§. 25. Prolixum foret, pluribus nostram demonstrare sen-  
 tentiam, fecerunt id jam abunde nostrates, ut modo dictum, Theo-  
 logi, imprimis Magnif. Dn. D. Calov. T. 4. Syll. Tb. Art. 2. c. 1. &  
 qu. 5. p. 548. ff. it. Harm. Calixtino-Hæret. Sect. 11. c. 11. subsf. 4. p. 251.  
 ff. 50-

ff. Socinianism. profl. Sect. 4. Art. 1. contr. 3. p. 236. ff. B. Walther. in  
Spong. Mos. ad b. l. p. 235. ff. B. Gerh. Disp. 1 sag. XXII. c. 9. §. 5. It. T.  
II. Loc. Tb. n. 100. p. 109. & T. VIII. n. 40. p. 23. & c. Augustinus quo-  
que Tom. VII. de Peccatorum meritis & remissione, Lib. I. c. 2. & sqq.  
ex professo contra illam disputat opinionem, inter alia cap. 2. di-  
cens: *Qui dicunt, Adam sic creatum, ut etiam, sine peccati merito mo-  
reretur, non pœna culpa, sed necessitate natura, profecto illud, quod in  
lege dictum est: Qua die ederitis, morte moriemini; non ad mortem  
corporis, sed ad mortem anima, qua in peccato sit, referre conantur.  
Qua morte mortuos significavit Dominus infideles, de quibus ait: Sine  
mortuos sepelire mortuos suos. Quid ergo respondebunt, cum legitur  
hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando & damnan-  
do dixisse: Terra es & in terram ibis? Neque enim secundum ani-  
mam, sed quod manifestum est, secundum corpus terra erat, & morte  
ejusdem corporis erat iturus in terram.* Quocirca etiam Sixtus Se-  
nenfis Lib. V. Bibliotheca Annot. 36. reprehendit Augustinum Eugu-  
binum; quamvis eandem sententiam, quam ipse tradit, habeant  
quoque Philo in Lib. 2. Allegiarum Legis, Josephus Lib. 1. Antiq. c. 1.  
& Eucherius Lib. 1. Comment. in Genes. Quod etiam in plenario A-  
fricano Concilio Milevitano c. 5. factum: *anathemate dicto illi,  
qui Adamum mortalem factum docuerit: & ex eodem in Jur. Can.  
dist. IV. de Consecratione c. 42. Imo ante enatum Pelagium hominem  
natura mortalem fuisse inficiati sunt vetustissimi Ecclesiæ Doctores:  
Cyprianus Serm. de patient. In illa, inquit, prima transgressione præ-  
cepti firmitas corporis cum Immortalitate discessit, & cum morte in-  
firmitas venit. Tertullian. Lib. de anima c. 52. *Qui primordia ho-  
minis novimus, audenter determinamus, mortem non ex natura secu-  
tam hominem, sed ex culpa ne ipsa quidem naturali. Denique si non  
deliquisset, nequaquam obiisset: Ita non erat natura, quod ex obla-  
tionis potestate accidit per voluntatem, non ex instituti auctoritate  
per necessitatem.**

§. 26. Inter Christianos igitur iterum ait Augustinus Lib.  
13. de Civ. Dei c. 15. *qui veraciter Catholicam fidem tenent, constat  
etiam ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege natura, sed me-  
rito inflatam esse peccati, quia peccatum vindicans Deus dixit primo  
homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es & in terram ibis. Et c. 1.  
Non eo modo, quo angelos condiderat, ita condidit & homines, ut  
etiamsi peccassent, mori omnino non possent, sed ita ut perfunctos obe-*  
dient

*diencia munere sine interventu mortis angelica immortalitas, & bea-  
 ta aternitas sequeretur. Inobedientes autem mors pleteret damna-  
 tione justissima. Creatione prima immortalitatem accepisse quidem ho-  
 minem, sed ea per lapsum deperdita, opus fuisse restoratione, qua se-  
 cunda fit creatione; Quis erat ante peccatum immortalis, factus est  
 per peccatum mortalis, atque ita successio mortalitatem habet, dicit  
 Dydimus Alex. contra Manich. Tom. 1. Biblioth. Patr. p. 269. Post-  
 quam spoliavit Diabolus primos parentes immortalitate, incorruptibili-  
 tate & beatitudine, re ipsa reviviscit hostis ille Dei & homicida, moxque  
 hominem, qui transgressus erat, apud Deum accusat, ait Casarius Di-  
 alog. 3. Bibl. Patr. Tom. IV. p. 669. Theophilus quoque Antiochen. l. 2.  
 ad Autolyc. Si mortalem, inquam, hominem formasset in initio, Deus  
 sane posset autor hominum mortis videri. Docent hoc itidem Tati-  
 anus Orat. contra Gracos, Irenaeus Lib. III. cap. 20. & alii plurimi,  
 quos adduxit Magnif. Dn. D. Calov. in Harmon. citata.*

*§. 27. Agnoscunt id quoque Ebraei. Nam in ספר האמונות  
 Sepher baemunoth R. Schem Tof, porta 6. cap. 9. fol. 68. col. 2.  
 אמרו במדרשים כי אם לא חטאו אדם וחווה היו  
 תולדותיהם שלא נאמצעות יצר הרע והיה חבורן  
 בתכלית הנאות כרמון חבור הצורות העליונות והקללות  
 h. c. In Med. a-  
 febim sive Commentariis Allegoricis dicunt Rabbinii nostri: si A-  
 dam & Eva non peccassent, tum generationes ipsorum fuissent sine  
 ulla mala concupiscentia, & copulatio ipsorum fuisset convenientis-  
 sima, qualis scilicet est conjunctio formarum superiorum, ut maledi-  
 ctiones arguere videntur, & vivi ac stabiles perpetuo mansissent in  
 mundo. Et fol. seq. ואלו היות משתמש בגוף הנכבד לך  
 כראוי על ידי המקום הווא היות נצחתי לעד אך  
 כאשר חטאת ונהפכת לאיש אחר תררוך להפסד וכי:  
 Si fuisses usus illo corpore, in quo creatus es, sicut conveniens erat,  
 vi ac virtute loci illius (Horti Eden) fuisses aternus in perpetuum:  
 quandoquidem autem peccasti, & conversus es in virum alium, per-  
 tinges & vades ad corruptionem, &c. Sic etiam in Libro Sche-  
 moth Rabbinis super Exod. at. 1. causam, cur dictio תולדות ge-  
 nerationes in universis Bibliis bis tantum cum pleno scribatur, bang  
 reddunt, quia scilicet mors non fuerit ante peccatum Adami. Ea e-  
 ויו*

onim de causa Gen. 2. 4. plene adhuc scribi volunt, & in cateris defec-  
tively post lapsus commemorationem, praterquam in Genealogia Mes-  
siae Ruth. 2. 4. ubi rursus plene scribitur, quia tempore Messiae mors abo-  
lenda fit, Esa. 25. 8.

§. 27. Prolize R. Bechai in Legem fol. 12. 2. ad hæc verba  
Gen. 2. 17. Morte morieris, in hunc sensum hac de re scribit: אין  
הכונה שימות ביום אכלו אלא שיהיה בן מות  
כי דעת רז"ל לולי שחטא לא ימות לעולם אבל  
יהיה קיים נצחי כמלאכי השרת ועל דעת חכמיה  
מחקר אלו לא חטא האדם היה מת מיתה טבאית  
לפי שכל מורכב סופו שיפורר וימות מיתה טבעית  
כי ענין מוכרח הוא בדרך הטבע לשוב כל מורכב  
לשרשו ולעקרו ולפי זה נזנת הכתוב מות המות וזו  
מיתה מקרית שרוב בני אדם מתים בה ודעתם  
לומר שאפילו לא חטא אדם היה מת מיתה טבעית  
ובאשר חטא השלוט עליו חטאו מיתה מקרית שימות  
קודם ומנו כדון מחוייב מיתה בידו שמיים וענין  
כפל המית לפי שהמיתות המקרויות הם שתיים  
בענין שכתוב כי אם ה' יגפנו או יוסו יבא ומת  
או במלחמה ירד ונספתו ומת שאמר יוסו יבא וזו  
מיתה טבעית וכיון ששלשה עליו בחטאו מיתה מקרית  
הוצרך למנוע ממנו עץ החיים הנצחיים הטב עיוס  
על כן נקרא עץ החיים עץ שמגיעו אל החיי  
הטבעיות עד בא זמן פרוד הרכבתו ומצילו מן המית  
המקרית ולשון וחי לעולם אינו אל אל חכליות  
אלא זמן קצוב כלשון ועברו לעולם וישב שם  
עד עולם ולפי דעת זאת אלו מונע החלה מעץ  
החיים והטא בו לאכול ממנו הוא הדין שיהיה  
מונע ממנו גכ עץ הדע' כדי שלא השלוט עליו מיתה  
מקרית שכבר נואל ממנה באכלו מעץ החיים ויש  
להם ראיות על מה שיסמכו לפי דעתם והייתי  
כותב שנים או שלשה מהם לולי שטעתם כנגד  
העקר והוא דעת רז"ל ואנו אין ראוי לנו להאמין  
ולקבוע

ולקטוע מסמרות אלא מדברי דור המקובלים פמי  
הנביאים שאלמלא שחטא היה חי לעולם וכן  
אמר הכתוב אני אמרתי אלהים אתם ובני עליון  
כלכם ואת אמר אלהים וכבני עליון אלה  
אלהים ממש ובני עליון ממש ורבו הכתובים

על זור: i. e. Intentio borum verborum non est, quod eo ipso die, quo comederis, fit moriturus, sed quod Filius (reus, obnoxius) mortis fit futurus. Nam ex sententia Rabbiorum; nisi peccasset Adam, non fuisset mortuus in aeternum, sed perpetuo mansisset vivus, sicut Angeli ministeriales. Secundum sententiam autem Physicorum, Adamus est non peccasset, tamen moriturus fuisset morte naturali; quia omne compositum tandem iterum est dissolvendum, & morte naturali destruendum. Necessarium enim est naturaliter, ut omne compositum in radicem suam, & fundamentum suum revertatur. Juxta illorum ergo mentem verba illa, Morte morieris, intelligenda sunt de morte accidentali, quae major hominum pars moriuntur; unde sententia illorum est: Etiam si homo non peccasset, illum tamen morte naturali moriturum fuisse: posteaquam vero peccavit, peccatum causatum ipsi fuisse mortem accidentariam, quae scilicet moritur ante tempus suum, ut is, qui reus fit mortis per manum Caeli, id est, Dei. Quod autem vox Moriendi ingeminatur, ideo factum volunt, quod duplex sit mors accidentaria, juxta id quod scriptum est, 1. Sam. 26, 10. Sed Dominus plaga afficiet eum: aut dies ejus adveniet ut moriatur, aut in bellum descendet ut consumatur. Quod enim dicitur: Aut dies ejus adveniet ut moriatur; intelligunt de morte naturali. Posteaquam vero per peccatum mors accidentaria in ipsum regnavit, subtrahenda ei fuit arbor vitae aeternae naturalis, unde Arbor vitae vocatur Arbor scilicet, quae pervenire facit ad vitam naturalem, donec adveniat tempus separationis compositionis ejus, & quae eripit eum a morte accidentaria. Verba illa: Et vivat in seculum; non designant tempus infinitum, sed finitum & determinatum, juxta illud Exod. 21, 6. Et serviet ei in seculum: Item 1. Sam. 1, 21. Maneat ibi usque in seculum, &c. Hujus sententiae varias proferunt rationes, quarum unam & alteram hic adduxissem, nisi sententia ipsorum repugnaret fundamentis fidei nostrae, sententia scilicet Rabbiorum nostrorum b. m. Nobis enim nihil credendum, nec ullibi clavis figendus, nisi ex verbis Rabbiorum nostrorum, per  
Tradi-

*Traditionem inde a Prophetis usque receptis: quod nisi peccasset Adam, vixisset in seculum. Et sic dicit Scriptura Psal. 82. 6. Ergo dixi, Dii estis vos, & filii excelsi omnes vos; Non dicit: sicut dli, & sicut filii excelsi; sed Dii revers, & Filii excelsi revera. Et plura sunt in hanc rem Scriptura dicta. Sc. Prolixior adhuc est R. Moses Gerundenfis, cujus tamen verba, ob pagellarum angustiam, adducere non licet.*

§. 28. Certum itaque est, *primum hominem totum, quia Animam corpusque simul, a Deo immortalem esse creatum, ita ut, si non sua sponte peccasset, ab omni non solum Morte, sed & morbo sine ulla causa, per naturam plane immunis fuisset futurus.* Et nugatorium est, quod Photiniani distinguant inter mortem ipsam & moriendi necessitatem, dicentes: Moriendi quidem necessitatem esse effectum comminationis illius, non vero mortem ipsam, propterea, quod hæc Adamo fuerit naturalis. Quid enim obsecro est mors naturalis, quam moriendi necessitas? quæ natura mortalis est, is necessario moritur per naturam. Et si mortalitas est consequens naturæ hominis, integræ & recens conditæ, fieri nequit, quia mors ipsa consequens naturale dicenda sit. Quid enim mors naturalis facit aliud, quam quod in actum deducit id, ad quod antea natura est disposita & facta. Certe mortalitas eo ipso per comminationem divinam homini infligenda dicitur, quo indicatur, illum morte moriturum. Neque enim actus mortis factus est ad commissionem peccati, sed omnino divinitus præfinitus, post aliquot demum tempora subsecutus. Nec opus est, ut distinguamus inter mortem & mortalitatem. Fluit enim ex hac mors infallibiliter per naturam concreta immortalitate destitutam, ut omnino unde fluit mortalitas, inde etiam mors ipsa suas habeat radices.

§. 29. Quam vero Mortem primis nostris parentibus Deus comminatus fuerit, paucis adhuc proponam, unde nec Adversariorum circa hæc rem errores proferre animus est, sed uno verbo mortis nomine in comminatione Protoplasti facta merito accipi dico, quicquid in sacris literis sub mortis nomine comprehenditur. Mortem enim corporalem vel temporalem, quæ dissolutio est animæ a corpore divinitus destinato tempore obeundam hic intelligi patet, quia usitatissimum

est in sacris literis, nomine mortis, literaliter & proprie sumto, interitum naturalem, vel separationem corporis & animæ, adeoque mortem corporalem intelligere. Est quippe hac propria mortis significatio, reliquæ vero acceptiones magis sunt translatae & figuratae. Accedit, quod *Gen. 3. 19.* mortem explicatam legamus per redactionem hominis in pulverem, ex qua conditus est primitus: qui ipse reditus solutionem animæ a corpore prærequirit. Et interpretatur id S. Paulus, cum *Rom. 5. 12.* ait *per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem.* Solam autem spirituales a D. Paulo intelligi, quod vult Socinus, nec proprietates verbi permittit, neque indefinita locutio cogit, nec ulla in Apostolico textu circumstantia evincit, & ipsa experientia refutat, quæ Adamum post & propter peccatum commissum mortuum esse, *Gen. 3. 5.* docet. Hinc ut mors corporalis diserte designetur, *Rom. 8. 10.* corpus dicitur mortuum propter peccatum. Unde mors resurrectioni ad unionem animæ & corporis comparatur *1. Cor. 15. 21.* Præterea sub ambitu vocabuli mortis insuper etiam *morsis* intelliguntur *angores*, sive omnis generis calamitates, afflictiones & miseriæ, quibus homo in hac vita quotidie propter peccatum maceratur & ad mortem quasi, ceu per caduceatores invitatur & præparatur, de quibus *Exod. 10. 17. 2. Reg. 4. 40. 1. Cor. 15. 31. 2. Cor. 1. 10. cap. 11. 23.*

§. 30. *Mors* autem *æterna* & *infernalis*, uti per peccatum invecata, ita omnino comminatione divina comprehensa fuit: estque perennis a gratia & visione Dei beata separatio & plenaria exclusio a consortio beatitudinis cælestis sanctorum, conjuncta cum horribili pavore, cruciatuque intolerabili & nunquam finiendo; quæ *mors secunda* est *Apoc. 11. XX. 6. 14.* nec male mors pœnalis dicitur. Quæ de & Apostolus *Rom. V. 12. 18. 19.* ex quo loco apparet, ut per vitam, quam Christus moriendo reparavit, æternam vitam: ita *vi oppositionis*, æternam mortem designari, quam Adam peccando promeruit & invenit. Unde & *maledictio* eorum, qui non permanent in lege Dei *Deut. 27. 26.* de maledictione *sempiterna* explicatur *Gal. 3. 13.* *Mors spiritualis animæ* sive *gratiæ* (de qua *Matth. 8. 22. Job. 5. 25. Luc. 9. 60. c. 15. 24. Rom. 7. 24. 1. Tim. 5. 6. Eph. 2. 1. 5. c. 5. 5. Col. 2. 13. Apoc. 3. 1.*) est, quæ in privatione gratiæ Dei, vel separatione a spirituali vita, quæ in Deo est, consistit, *Eph. 4. 18.* quam comminationem ita *παράφρασις* S. Augustinus: *Qua die me deserueritis per inobedientiam, des-*

ram vos per iustitiam, neque de morte gratia ullam esse potest dubium; quia per aversionem a Deo privarunt se Protoplasti gratia & vita Dei. Hæc enim apostasia a Deo poena erat. Nam eo ipso ut Greg. Nyssenus lib. 1. cont. Eunom. disserit, quo alienatus est a vera vita, eadem die mortis in eum confirmata est sententia; quæ etiam expositio est Irenæi Lib. 5. c. 23. eamque ita probat Gregor. M. L. VI. Epist. 31. si in anima mortuus non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit, quia, quo die comederis, morte morieris. Quod contra Petavium notandum, qui negat, mortem animæ hic comprehendit. Mors certe spiritualis & mors aeterna, si recte expendas, non nisi gradibus differunt, & duratione, quia utraqve est separatio a summo bono: & mors aeterna mortem gratiæ vel spiritualem indubitato sequitur, cum hæc proprie illius sit initium, illa huius complementum, nec potest non sequi, nisi homo recipiatur vicissim in gratiam. Recte proinde hac de re disserit doctissimus Pater Augustinus Lib. 13. de C. D. cap. 11. p. 150. Utrum anima, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ secunda dicitur mortem comminatus est? respondendum est, Omnes. Prima enim constat ex duabus: Secunda ex omnibus tota: quoniam prima constat ex duabus: una anima, altera corporis, ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo, & sine corpore ad tempus poenas luit: secunda vero, ubi anima sine Deo cum corpore poenas aeternas luit. Quando ergo dixit Dominus: Quacunqve die ederitis ex illo, morte moriemini, non tantum prima mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo: nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima: nec solum ipsam totam primam, ubi anima & a Deo & a corpore separata punitur: sed quicquid mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & quæ est nulla posterior, comminatio illa complexa est. Secundum Augustinum igitur Deus Protoplastis comminatus est mortem, I. Spiritualem, quæ est mors animæ, quando anima est sine Deo. II. Temporalem, quando corporis & animæ unio dissolvitur. III. Primam totam, ubi anima & a Deo, & a corpore separata punitur. IV. Aeternam, quando anima sine Deo cum corpore aeternas poenas luet. Atque sic recte dictum est hac phrasi: Moriendo morieris, notari rei certitudinem, perfectionem & augmentum. Est enim sensus, ut B. Rungius l. c. p. 124. loquitur: Certissime & in totum morieris, ita ut nihil vita tibi sit reliquum futurum.



§. 31. Cæterum & *Premia* huic addita esse præcepto, si legem  
 obtemperarit homo, non quidem expressis verbis promissa legun-  
 tur, per Antithesin tamen ex hac comminatione sunt colligenda, vi-  
 delicet: *In quocunque die comederis de arbore scientiæ boni & mali,*  
*morte morieris. Si autem non comederis ex illa, vivendo vives* ceu præ-  
 clare annotat B. Rungius *l. c.* & uberius exponit Mag. Dn. D. Calov.  
*T. 4. S. Tb. art. 2. c. 3. p. 714.* In tanta vero felicitate non peccandi &  
 utrinque, tam *pana* quam *premio* positus, secutus cheu! nihilomi-  
 nus est patrem mendacii, Diabolum, & fontem salutis dereliquit.  
 Quo ipso non sibi modo, sed toti etiam generi humano conscivit  
 mortem, Rom. V. consentiunt Rabbini, hinc in libro *Zohar* in Gen.  
 col. 118. ad Gen. 11. אדם קרמא מרד במאריה וגרם  
 : אדם קרמא מרד במאריה וגרם *h. e. Adamus primus rebellavit domino suo, & cau-*  
*satus est (sc. rebellione sua) mortem mundo.* Sic etiam in *Targum*  
*Eccl. 7. 29.* גרמו לאסתקפא עלוהי יום מותא ולכל דירי  
 : גרמו לאסתקפא עלוהי יום מותא ולכל דירי *(Protoplasti) sibi mortem, & omnibus (homi-*  
*nibus) viventibus super terram.* Et in *Targum Ruth. 4. in fine*  
 ועל ארעא: ההוא עיטא אתחיבו מותא כל דירי ארעא:  
 : ועל ארעא: ההוא עיטא אתחיבו מותא כל דירי ארעא: *Et propter illud*  
*consilium (quod serpens dedit Evæ) rei facti sunt mortis omnes habi-*  
*satores terra.* Pari modo scribit R. Mair Ben. Gabbay in *Afodæ*  
*Haccodesch fol. 52. col. 9.* ואדם הראשון בחטאו פתח  
 המען הנרפש והמקור המשחת צר הטומאה אשר נמשך  
 אחריו ונתפשטה הזוחמה והטוחמה בעולם והיצר הרע  
 הבא מהסכה החיא אורב תמיד וצופה לצדיק להחטיאו  
 ולהמיתו כי חטא ממת והמלהמה הזאת ערובה בכל  
 : ואדם הראשון בחטאו פתח *Atque homo primus*  
*dum peccavit, aperuit fontem canosum & gurgitem perdentem ob im-*  
*munditiam, unde secuta est & dimanavit in mundum impuritas ac*  
*immundities; & concupiscentia prava, qua inde originem ducit, infi-*  
*diatur jugiter, & attendit ad justum, ut eum inducat ad peccandum,*  
*& occidat eum, quoniam peccatum occidit, & illud bellum omnibus in-*  
*fiat, ac in generationes (omnes) durat, ut nemo ab eo excludatur.* Con-  
 sentit R. Moyses de Trana in *Beth. Elobim fol. 105. col. 1. in fin.*  
 וגם בחטא שחטא אדם הראשון הרי הוא כאלו  
 חטאו בו כל העולם כי זה כל אדם אדם הראשון  
 היה ככל האדם אשר בעולם בכל דור ודור כיון שלא  
 היה

הוּא הוּא אֱלֹהִים אֶחָד כְּעוֹלָם אֶחָד Præterea ecce peccatum illud,  
quod commisit homo primus, quasi commisit totus mundus, quoniam  
hic erat omnis homo; (sive) Homo primus erat instar omnium in mun-  
do (viventium) per omnes generationes, quoniam non erat in mundo  
alius (Homo) præter illum.

§. 32. Sed quomodo veritas sua divinæ constat comminatio-  
ni, arbori isti additæ? Dixerat enim Deus: quocumque die comederis  
de arbore scientia boni & mali, morte morieris; Adam vero diu satie  
vixit & annos ætatis absolvit 930. Gen. 5, 5. Nonnulli existimant,  
Divinam hanc comminationem accipiendam esse non de morte  
corporali, sed solum de spirituali, sive amissione Gratiæ & Imagi-  
nis Divinæ, in qua spiritualis, hominis vita consistebat. Sed & hanc  
esse indictam ex supra dictis & jam jam dicendis apparet. Alii cen-  
sent, illum  $\pi\epsilon\sigma\sigma\delta\iota\omicron\sigma\iota\mu\omicron\nu\nu$ , quocumque die, duntaxat ad verbum come-  
deris esse referendum, non ad morieris. Justinus Martyr, in Dial. cum  
Tryph. ad Abacum & mensuram diei, Dei, cui mille anni unicus est  
dies, juxta Ps. 90. 4. & 2. Pet. 3. 8. confugit, & secundum hanc mensu-  
ram, dicit, eadem die Adamum mortuum fuisse, qua comederit ex ar-  
bore scientia boni & mali. Nec ipsum enim nec quempiam alium Patri-  
archarum, millenarium numerum annorum supergressum esse. Verum  
hæc sententia longius petita, & Allegorica potius, quam historica est,  
quoniam in tota Genesi diei nomen non accipitur aliter, quam in  
propria sua significatione, adeoque humanitas, non divinitus. Com-  
munissimæ, & optima opinio est, Protoplastos mortuos esse ipsissimo  
Transgressionis die, tam spiritualiter, dum per transgressionem gra-  
tiam Dei & omnem spiritualem vitam amiserunt, quam corporaliter,  
quod reatum vel imperium, quod mors in eos post vetiti fructus  
comestionem obtinuit, sive moriendi necessitatem & inevitabile  
debitum, quod per peccatum sibi contraxerunt. Interim corpus, Im-  
mortalitatis dono spoliatum, statim frigus sentire cœpit, æstum,  
qualitatum  $\delta\upsilon\sigma\eta\kappa\alpha\sigma\iota\alpha\nu$  lassitudinem, irroptumq; morbificum, quæ  
instrumenta sunt & adjuncta & prodromi mortis, eoque etiam  
nomine veniunt, Exod. 10, 17. 1. Cor. 15, 31. 2. Cor. 11, 23. Unde &  
Paulus inquit Rom. 8, 10. Corpus per peccatum mortuum esse, id est  
moriendi necessitatem esse constitutum. Quod sic explicat Chry-  
sostomus hom. 17. in Gen. *Uti in humanis iudiciis, postquam in reum  
pronunciata sententia est, ut ei caput amputetur, isq; mox in carcerem  
abatur.*

abducitur, licet diu ibi maneat, nihil melius jam in mortuis, exinctu-  
que deget, utpote jam sententia ipsa mortuus. Eodem modo & illi (pri-  
mi parentes) ab ea ipsa die, ex qua sententia in eos mortalitatis edita  
est, etsi longo tempore superstites fuerunt, sententia ipsa jam mortui  
sunt.

S. 33. Mors denique aeterna ipsis quoque statim eadem die  
inflicta est quoad reatum, quoniam ei propter transgressionem facti  
fuerunt obnoxii: adeoque quicquid mortis nomine uspiam in S.  
Codice occurrit, Protoplastis metuendum fuit & subeundum, quod  
satis indefinita circa interdictum gravissimum Dei innuit commina-  
tio, quae aequipollet universali & non permittit minas a summa Ma-  
jestate circa rem gravissimam dictatas in arctum ex arbitratu con-  
trahere, praesertim ubi causa nulla est, ob quam haec aut illa mortis  
species excludi debeat. Et successisset etiam mors actualis, nisi Deus  
generi nostro mitius consulisset. Misericordia enim divina per &  
propter mortem satisfactoriam Messiae, seminis Mulieris benedicti,  
intercessit, quae vi ejusdem in vita conservavit Protoplastos, quia  
jam divina destinatione ab aeterno ordinatus erat Agnus ad tollen-  
dum & expiandum peccata nostra, Ap. 13, 8. c. 18, 8. Ebr. 13, 8. Job. 1,  
29. ut audito Prot-Evangelio poenitere possit, ac per fidem in Chris-  
tum, morte licet corporali inflicta, vitam aeternam consequi, salva  
divina tum veritate, tum justitia. Et valet hic Philologorum regu-  
la: quod activa verba non semper *נא* *יבשרת*, sed *נא* *יבשר* saepe  
intelligenda sint, seu non effective semper, sed quandoque habi-  
tualiter, ut Lev. 2. 3. Matth. 23. 5. 2. Pet. 2. 8. Conf. B. Glass. l. c.  
can. 21. p. 289. Quocirca Ambrosius de paradiso cap. 5. quem Drusus  
quoque ad fragmenta cap. 8. hanc in rem citat, & Hieronymus quae-  
sive Tradit. Ebraic. in Genes. Tom. IV. Op. f. 91. b. laudant Symma-  
chum, illud *מית* *אדם*, morte morieris singulariter reddens, *מית*  
*אדם* mortalis eris, itemque Theodoretus Quae. 38. in Genes.  
Hic, inquit, mortalitatis sententiam mortem appellavit; sic enim inter-  
pretatus est Symmachus, quacunqve die comederis de ligno hoc, mor-  
talis eris. Etenim post divinam sententiam per singulos propemodum  
dies mortem expectabat. Conf. Magnif. Dn. D. Calov. Tom. 4. Syst.  
Th. p. 712. B. Walther. in Harm. Bibl. Gen. II, 17. B. Ger-  
hard. Comm. in Gen. ad b. l.

TANTUM.

Eden.

n. Olesis

184  
B...

o. Gese...  
n. Eden  
L. ...  
L. ...

ny. Maden  
abem...  
Her. Hage  
D...  
den

den

h...

I, A

